Dividitur orbis signorum in .12. partes
et nominatur unaqueque partium eius
nomine communi eis omnibus quod est ingco thyrtya catim-
rion cuius expositio est pars .12. et est signum et nominatur unumquodque
signum nomine proprio ex forma stellarum que in ipso formantur et
signa que .12. sunt. aries taurus gemini cancer leo virgo libra
scorpio. sagittarius. capricornus aquarius pisces. et signum
dicitur secundum duas intenciones quarum una est pars duodecima orbis
signorum que terminatur et distinguitur stellis aut punctis ter-
minatis et intencio altera est qua nominatur signum ex formis
signis secundum quantitatem situs stellarum et similitudinem earum ad for-
mam que nominantur. Partes vero duodecime sunt equales in mag-
nitudine quoniam orbis signorum dividitur in .12. partes equales secundum quod est
in instrumentis consideracionis. Signa autem stellata ex parte
forme stellarum suarum non sunt equalia in magnitudine neque
eorum compositio est ex stellis equalis numeri. unaqueque formarum sig-
norum est secundum porcionem suam. que ei debetur ex loco qui est pars
duodecima divisionum signorum. Verum quedam earum sunt que abbre-
viantur ab eo sicut cancer. locus enim cuius minor est parte
.12. orbis signorum. et de eis sunt qui superfluunt ab eo et dilatantur
aliquid ex eo in signo antecedente. et aliquid in signo sequen-
te sicut leo. et iterum de signis .12. sunt signa quorum forme
tote non sunt in orbe signorum sed sunt de eis que sunt de-
clivia ab eo ad partem. septentrionis. sicut leo et de eis sunt
que sunt declivia ab eo ad partem meridiei sicut scorpio
et unaqueque divisionum orbis signorum duodecimarum dividitur
in .30. divisiones equales unaqueque divisionum earum nominatur pars
est ergo orbis signorum divisus in .12. divisiones et in .360. partes
equales et sol quidem perambulat signorum in anno quoniam annus
est tempus in quo sol percurrit orbem signorum totum. incipit
ergo ab aliquo puncto et pervenit rediendo ad punctum a quo
incepit progressum et hoc tempus est .364. dies et quarta
diei fere. Sol n. perambulat in hiis diebus partes signorum
que sunt .360. partes. est ergo cursus eius in omni die pars u-
na excepta re parva. manifestum est ergo quod dies non pars. et
illud est quia pars est spacium quantitatis de signo et pars
una de .30. partibus signi sui. dies vero est pars trigesima.